



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Mvndvs Et Mvndi Partes, Divinæ Bonitatis Ac Ivstitiæ
Præcones**

Stengel, Georg

Ingolstadt, 1645

§. 8. Amentia eorum, qui contra bestias queruntur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52365](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52365)

rent: ita, quid singuli passi sint, viderunt in
 vniuersis. O quis tum, quantusque luctus
 fuit, qui gemitus, quæ suspiria in cælum
 missa? quàm ingens vis lachrymarum in
 terram cadentium, aut lacerata paruulo-
 rum membra lauatium! Quàm serua fuit
 accusatio, in vrsorum feritatem vibrata?
 quanta execratio belluarum? Sera est hæc
 vestra querimonia, ô parentes: erratis
 accusando. Vos ipsos, non vrsos, accusare.
 Si voluissetis liberos vestros ad senectutem
 peruenire, docendi fuissent; senes non con-
 temnere; non ridere Prophetam, sanctis
 non illudere, sed reuerentiam exhibere:
 cur ab vrsis exigitis humanitatem, qui *puer-*
os paruos docuistis feritatem? Nunc quia,
 vestra vel negligentia, vel indulgentia, vel
 socordia, in Elisæum linguas stringere di-
 dicerunt; Dei sententiâ & mandato, bel-
 lua, in illos, dentes debuerunt stringere; vt
 mordacitas eorum, vrsinis moribus ple-
 teretur, & iustissimo Numinis iudicio
 lacerati docerent, sanctos viros contume-
 lijs non lacerandos.

§. VIII.

*Amentia eorum, qui contra bestias
 queruntur.*

Abeant

Abeant nunc ad vulgi opinionem, & querantur contra bestias, ad bestias à Deo damnati. 1. Opificem sapientissimum, in opere exquisitissimo reprehendunt. 2. Patrefaciunt suam dementiam, vt, qui velint, sibi belluas parere, cum ipsi suo Conditori obedire recusent. 3. Ostendunt se dominij plenitudinem, cum innocentia, perdidisse. 4. Sibi plus licere volunt, quam Domino suo supremo, quem, ad scelera plectenda, nolunt vti creaturis, cum ipsi reos equis distrahant, camelis conculcent, vrsis obijciant ambedendos, leonibus deuorandos. 5. Adeò cæci sunt, vt non videant diuinam protectionem, adeò furdi, vt non audiant comminationem. De preuaricatoribus enim dicit: *Deuorabunt eos aues morsu amarissimo: dentes bestiarum immittam in eos, cum furore trahentium super terram, atque serpentium.* Vel, si audiunt, cur non metuunt; si vident, cur non cauent? Ideò enim iteratò ait: *Immittam in vos famem, & bestias pessimas, vsq; ad internecionem.* Sed non mouentur minis saxeæ corda. 6. Inde mentem amittunt, vnde eos sapere, & mundi Rectorem agnoscere oporteret, cuius iustissima gubernatione, bestia in reos irruunt,

D d 2 quæ

Deuter. 32. 24.

Phil. Ca-
mer. cēt. 1.
Hor. sub
cap. 22.

Plutarch.
in vita
Bruti.

quæ non audent tangere, aut libare inno-
centes. Aut certè, dum nocentes lædunt,
innocentes defendunt. Quo pacto, cum
aliquando hostes, noctu, nauibus appul-
sent, & arcem Neapolitanam occupaturi,
muros, scalis clam appositis, magno silen-
tio transcendissent, præter opinionem,
inciderunt in leones, qui multos ex illis
dilacerarunt, & suo rugitu, vigiles excitã-
runt, ita, vt non paucis desideratis, irrito
conatu discedere coacti sint. Contrarium,
apud Megareses euenit. Apud eos, Callius
leones, quos Ædilibus ludis præparauerat,
reliquit. Cùm ergo ciuitas, per Calenum,
caperetur, Megareses, ferarum carceres
effregerunt, vinculis eorum relaxatis, vt
irruentibus hostibus objectæ negotium,
tantisper facerent, dum sibi, per moram
aliquam, consulere possent. Verùm longè
aliter euenit, quia leones in ciues ipsos
truculenta scœuitia conuersi, tantam iner-
mum stragem edidère, dum obuios quos-
que adoriuntur, sternunt, atq; dilacerant,
vt spectaculum illud fuerit vel ipsis hosti-
bus miserandum. Hæc iudicia Dei sunt
in sacris exempla non desunt.